MICH. HENR. GRIBNERI D.
PROF. PVBL.
ET
JCTOR. COLLEG. H. T. DECANI
DE
TITVLO
COMITIS PALATINI SAXONIAE
IN
LITERIS
HENRICI ILLVSTRIS
PROGRAMMA
DISSERTATIONI INAVGVRALI
CLARISSIMI CANDIDATI
EPHRAIM GOTFRIDI REICHII
NEOSTADIENSIS
PRAEMISSVM

Enricum, quem vulgo (*a*) *Illustrem* vocant, nemo est, qui ignoret, junxisse *Misniæ Thuringiam*, & quam integram cernere debuerat (*b*) *Henrici Raspe* hereditatem, ejus partem, quæ Hassiæ opponitur, acquisivisse, altera Brabantino, ut vocabatur, puero transactione (*c*) relicta. Qui ergo in provinciam hanc Henrico Raspio successit, is *titulo* etiam Comitis *Provincialis Thuringiæ & Palatini Saxoniæ* in literis quam plurimis *usus* est,

(*a*) *Vulgo* inquam. Neque enim hoc *cognomen* nostri fuisse puto, sed *titulum* solennem, quo Principes illo tempore appellabantur, quod post *Hortlederum*, & *Sagittarium*, SCHLEGEL. *de Cella Veter. p. 60.* & TENZEL *Supplem. Histor. Goth. II. p. 589.* recte monent, & diplomata probant, quibus *Illustris Princeps* Henricus dicitur, idemque elogium *Alberto* filio, aliisque Principibus, & Marchionibus passim tribuitur.

(*b*) Quod si etiam *feudum masculinum* Henrici Raspe ditionem fuisse dixeris cum WECKIO *p. 107.* Cæsaris expectativa Henricus nitebatur, si *femininum*, quod placet pluribus, in promiscuis feudis *sororis filius fratris filiam excludit*, si *allodium* Hassiam fingas fuisse cum HERTIO *de feud. Oblatis p. 557.* judicium & voluntas Henrici Raspe nostrum Marchionem adjuvabat; sed hæc alibi exponuntur, add. *Diss. d. terris Jur. Sax. §. 45. lit. c.*

(*c*) vide quos allegarunt PAULIN *ad ann. 1263.* & Magnif HORN. *Progammat. quo Thuringicum votum vindicavit*, FABRI *Staats Canzeley tom. 16. p. 330.*

eſt, *poſt Raſpii in primis obitum*, quamvis *ne tunc quidem ſemper, antea rarius &* prius, quam literis Friderici II. Imperatoris (*d*) ſucceſſio ei per inveſtituram, quam abuſivam vocant, (*e*) confirmata eſſet, *fere nunquam.* Aliter calculos ſubducit celeberrimus *Struvius* & in *Diſſertatione*, qua jura Palatii Saxonici, quæ ſoli Duci Electori ſunt propria, omnibus Principibus Saxonicis communia eſſe contendit, (*f*) Henricum Illuſtrem, Raſpone etiam ſuperſtite, atque antequam a Friderico II. illam, quam dixi, inveſtituram obtinuerit, Palatini titulum geſſiſſe, eundemque poſt mortem Raſponis conſtanter adhibuiſſe ſcribit, (*g*) atque Viri Magnifici ordinis noſtri Præſidis in dubium vocat ſententiam, (*h*) qui etiam poſt inveſtituram illam Fridericianam Henricum a titulo illo ſe abſtinuiſſe affirmaverat. (*i*) Qua in re, quod pace Viri Doctiſſimi dixerim, & fruſtra ille

(*d*) Has exhibent SCHUBART. *d. Comit. Palat. Cæſar. p. 189. ſq.* ex muſaeo Heidenreichii, WECKIUS *p. 2. p. 153. ſq. &* ex hoc LUNIG *Part. Spec. Contin. II. p. 177.* add. TENZEL. *ſuppl. II. Hiſtor. Gothan. p. 586.*

(*e*) vid. Dn. HORN. d. Comit. Palatin. Sax. §. 8.

(*f*) neſcio, an ſerio, an ingenii exercendi cauſa? Jus enim Electoris ſatis manifeſtum eſt, quod ipſe Vir Celeberrimus, et in Diſſ. d. Officiis imperii Saxon. & in Juris publ. prud. agnoſcit. Prodiit diſſertatio *de comitia Palatinatus Saxon. ſereniſſima Genti communi* Ienæ 1712.

(*g*) *cit. Diſſert. p. 15. ſqq.*

(*h*) *p. 17. in not.*

(*i*) *Diſſ. d. Comit. Palat. Sax. §. 8. in fin.*

Hornio contradicit, (*k*) atque confidentius affirmat & ante annum 1242. uſurpatum hunc titulum, & poſt eum vivo Henrico Raſpio adhibitum, & poſt fata hujus conſtanter retentum eſſe; cum alia omnia diplomata nos doceant, quorum fide res expedienda eſt, in quibus titulus ille deeſt ſæpius, & vivo Raſpio vix occurrit. Sed ordine progrediar, atque paucis, pro inſtituti ratione, quæ nunc ſe offerunt, literas Henrici noſtri recenſebo, ut inde appareat, qua ille uſus ſit ratione, & quem ſervaverit in illis ordinem titulorum. Neque enim nunc vacat rem plenius excutere, quam iis, quibus archiva adeundi contingit felicitas, aut quibus diſperſa in aliorum operibus, diplomata colligere otium eſt, dirimendam relinquo. Atque primum quidem & antiquiſſimum Henrici noſtri, quod mihi quidem occurrit monumentum, *Schlegelius* exhibet, (*l*) privilegium Cellenſi Monaſterio anno 1221. conceſſum, quo infantiæ nondum noſter tempora egreſſus (*m*) erat. In hoc *Miſnenſis* &

(*k*) neque enim (1.) Vir Magnificus l. c. diſerte negat, ſuperſtite Raſpio unquam hunc titulum uſurpaſſe, Marchionem noſtrum, ſed (2.) illo tantum abſtinuiſſe eum in diplomate, quod ann. 1243. datum eſt, oſtendit, neque (3.) *Struvius* id aſſertum falſum eſſe probat, imo ne unicum quidem affert exemplum literarum poſt ann. 1242. ſcriptarum, in quibus vivo Henrico Raſpe Henricus Miſniæ Marchio hoc elogio uſus legatur.

(*l*) *de Cella Veter. p. 43.*

(*m*) natus enim eſſe traditur anno 1218. FABRICIUS *Orig. l. 6. p. 574.*

& *Orientalis Marchio* noſter dicitur *Palatini Saxoniæ* titulo non ipſe, ſed is, in cujus tutela erat (*n*) *Ludovicus utitur.* (*o*) Ab hoc tempore usque ad annum 30. non memini me videre diploma Henrici. Hoc vero ipſo anno ſcriptum eſt, id quod *Struvius* exhibet, (*p*) cui, quod ante ann. 1242. in nullo alio invenio, titulus Thuringiæ Landgravii & Comitis Palatini eſt adjectus. Suſpicarer in numero errorem, niſi, qui ſubſcripſerunt teſtes, ætatem illam ſatis confirmarent, ex quibus Numburgenſium Epiſcopus *Engelhardus* ann. 1236. vitam cum morte commutavit. (*q*) Itaque ante illud tempus conſcriptum hoc diploma eſſe certum eſt, utrum titulus Comit. Palat. in authentico habeatur, an copiæ adſcriptus fuerit, quibus illud aſpicere licet, viderint, ego judicium ſuſpendo. Ad Henricum Raſpe, cujus plura extant diplomata, (*r*) referre Miſnæ & Orientalis Marchionis elogium vetant, atque aliæ non permittunt rationes. Dubiam tamen & ſuſpectam non diffiteor mihi videri inſcriptionem, quia in aliis, quæ poſt illud tem-

(*n*) FABRICUS *l. c.* PAULIN. *annal. Iſenac. p. 35.* Sed SCHLEGEL. l. c. p. 43. Ludovicum Landgraviæ (luttæ) tutorem vocat, quem ſequitur TENZEL. *in der curieuſen bibliothec fortſetzung erſtes repoſitor. 3. facb. p. 279.*

(*o*) adjicio titulum: *lutta D. G. Miſnenſis et Orientalis Marchioniſſa, Henricus filius illius eadem gratia Miſnenſis & Orientalis Marchio & Ludovicus Landgravius Thuringiæ & Palatinus Comes Saxoniæ &c.*

(*p*) STRUV. *l. c. p. 15. in f.*

(*q*) vid. Acta & Facta Præſulum Numburgenſium a Paulino edita. p. 138.

(*r*) A Paulini, Tenzelio, Leuckfeldo aliis edita.

pus confectæ ſunt, literis mentio Palatii Sax. & Landgraviatus Thuringici nulla occurrit. Quod ne fruſtra dixiſſe videar, duo allegabo exempla, in quibus ſolius Miſnæ & Orientalis Marchiæ titulus commemoratur. Primum ann. 1231. *Grimmæ* ſcriptum eſt ad hæc ineditum, quo *priori & fratribus Ordinis prædicatorum Henricus* proſpexit, quod, quia ad patriæ cariſſimæ memorias pertinet, integrum adſcribi curavi, (s) alterum ann. 1533. datum eſt, quod *Mollerus* exhibet, (t) hoſpi-

(s) *Henricus Dei gratia Miſnenſis & Orientalis Marchio* dilectis in Chriſto filiis honorabilibus, priori ac fratribus uniuerſis ordinis prædicatorum in LIPZK ſalutem in domino & ſuam gratiam ſpecialem. Cum viros glorioſos divinis obſequiis ſpecialius mancipatos manu tenere atque fovere in noſtra jurisdictione modis omnibus proponamus, veſtris juſtis petitionibus, debito concurrentes affectu, aream quondam *Henrici* militis *de Warin*vobis reſignatam ab ipſo, vobis duximus auctoritate præſentium confirmandam. Præterea vobis concedimus facultatem monaſterium veſtrum, Eccleſiam videlicet de lapidibus, vel lateribus cum dormitorio atque loco privato per murum civitatis, ubi neceſſitas poſtulaverit, taliter conſervandi, ut et ipſa neceſſitas adjuvetur, et munitioni civitatis, quantum de conſilio prudentium fieri poterit, caveatur. Nolentes vos in his atque aliis veſtris negotiis, ab aliquo indebite perturbari. Quorum certe adventum in terram ac civitatem LIPSEN: valde diligimus, ac defenſioni ſemper ſtudioſius intendemus, Datum in *Grimma V. Idus Iulii* anno gratiæ XXXI.

(t) MOLLER *chron. Friberg. p. 1. p. 121.*

hoſpitali Vribergenſi conceſſum, in quo perinde Co mitis Palatini Sax. & Landgr. Thur. tituli deſunt, non obſcuro indicio, nondum eo tempore *Henricum Raſpe*, quod *Struvius* exiſtimat, (*u*) noſtro Henrico id dediſſe, ut titulis illis ob ſpem ſuccedendi uteretur. Qua de re ſilent omnes memoriæ illorum temporum, quibus non puto invaluerat illa ratio, prætenſionum aut ſucceſſionis cauſa inſerendi titulos munerum et provinciarum. Vtinam vero literæ, quas allegarunt *Schlegelius* & *Weckius*, (*x*) integræ, extarent, aut titulos ſaltem illarum exhibuiſſent viri, quos dixi, Celeberrimi, facilius ſic fuerit, ex his, quid de *Struviana* ſentiendum ſit inſcriptione, dijudicare. Quibus cum careamus, neque nunc aliæ ad manus ſint literæ iſtis quidem annis conſcriptæ, dubitare ſaltem licebit de fide illius inſcriptionis, usque dum alia, quæ hunc titulum præferant, monumenta inveniantur. Sed hæc ante annum 1242. obtinuit ratio, quo, ut dixi, Henricus Marchio ad petitionem avunculi de Landgraviatu Thuringiæ ac Comitatu Palatino Saxoniæ inveſtitus eſt. Ex eotempore jus forte ei fuerat augendi titulos & Comitis Palatini elogio utendi. Sed abſtinuit tamen ab ea appellatione avunculi veneratione, quod recte monuit Magnificus *Hornius* noſter, (*y*) atque ſatis evidenter probat diploma, cujus titulum nobis induſtria *Molleri* ſer-

(*u*) *l. c. p. 16. in f.*

(*x*) vid. WECK. *p. 105.* SCHLEGEL. *p. 47. 48.* ubi duo citat diplomata, quorum unum ann. 1234. alterum 1240. ſcriptum eſſe tradit, ſed et paſſim aliorum mentionem facit, quæ integra inſeri operæ omnino pretium fuiſſet.

(*y*) *d. Comit. Palat. Sax. §. 8. fin. p. 10.*

ſervavit, (z) ad annum 1243. Cujus fide cum *Vir Magnificus* & literis indubitatis Henrici nitatur, miror equidem hoc vellicare *Struvium*, in primis cum ipſe nullum afferre potuerit monumentum, quod quidem poſt annum 1242. ante *Raſponis* obitum prodierit. Equidem ſi *Tenzelio* habenda fides eſt, cujus fuit in his rebus inſignis ſane peritia, jam ann. 1264. Comitem ſe Palatinum Sax. & Landgravium Thuringiæ ſcripſit noſter. Ille enim in literis, quas ex *Hortlederi* ſchedis attulit, quæ utrumque hoc præferunt elogium pro anno 1256. quem exprimunt, annum 1246. ſubſtituit, (aa) quæ emendatio *Indictioni* additæ & temporis rationibus omnino convenit. Sed id quoque ſi admittas, nec obeſt *Hornii* ſententiæ, nec *Struvium* juvat. Ipſe enim fatetur *Tenzelius*, non convenire hos titulos noſtro Marchioni, nec alias uſurpatos eſſe, Henrico Landgravio ſuperſtite. Itaque hujus diplomatis & reliquorum, quæ poſt ea tempora conſcripta ſunt, alia eſt cauſa, quam eorum, quæ ante annum 1246. confecta fuerunt, Cum enim anno illo Imperatoriam dignitatem imponi ſibi Henricus Raſpe patereturr, (bb) Comitis Palatini & Landgravii aut noluit amplius uti titulis, tanto faſtigio, ut tunc credebatur, non convenientibus, eosque Henrico ex ſorore nepoti, & ſucceſſori deſignato reliquit, aut, quæ *Tenzelii* conjectura eſt exauctorato illo jam tum Henricum illuſtrem ſuis auſpiciis occupare hæc munia

(z) P. 2. *Annal. Friberg. p.* 17.
(aa) TENZEL *ſupplem. P.* 2 *p.* 626. *ſq.*
(bb) SAGITTAR. *Bericht von Land-Graffen Henrichs Römiſchen Königs Wahl c.* 1. §. 11. *ſqq.*

munia, quibus excidiſſe credebat Raſpium juſſit Fridericus Imperator. Taceo nondum expeditum eſſe, an omnino literæ illæ, quæ vivo *Friderico* (*cc*) ſine dubio ſcriptæ ſunt, *Raſpone* etiam ſuperſtite prodierint. Namque ille aut ann. 1247. (*dd*) aut, quæ aliorum eſt (*ee*) opinio, ann. 1248 obiit, quo demum defuncto, ſi contendas, has exaratas eſſe literas, non equidem difficile fuerit, mendum tollere indictionis. Supereſt ut videamus, an, quod *Struvius* exiſtimat, (*ff*) poſt mortem *Raſpii* conſtanter illo titulo uſus fuerit Marchio Henricus. Neque vero hic urgebo in *reverſalibus*, ut vulgo vocant, ordinum Thuringiæ hanc appellationem deeſſe: (*gg*) namque harum alia ratio eſt, quam literarum Henrici. Dabo potius hoc *Struvio* in omnibus, quæ ante annum ſexageſimum conſcripta ſunt, diplomatibus titulos eos inveniri. Teſtantur id quæ ann. 1251. (*hh*) 1252. (*ii*) 1253. (*kk*))( )(1255. (*ll*)

(*cc*) *Hortlederi* enim conjecturam, qui Henricum diſſimulaſſe Friderici Imperatoris obitum contendit, merito rejicit *Tenzelius* l. c.

(*dd*) vid. quos allegavit SCHLEGEL. *de nummis Iſenac. p. 118.* SAGITTAR. *cit. tract. de electione Henrici* c. 3. §. 2. ſq.

(*ee*) PISTORII, aliorum, quos refellit SCHLEGEL *ibid. in not.*

(*ff*) *l. c. p. 17.* his verbis, *quem etiam titulum poſt mortem Raſponis conſtanter geſſit.*

(*gg*) exhibent eas WECK. *p. 155.* LUNIG *P. ſpec. Cont. II. p. 177. ſq. add. Deduct. Jur. & facti in Sachen Sachſen Weimar contra Schwarzburg Arnſtadt p. 46. lit. N.*

(*hh*) vide quas exhibet SAGITTARIUS *Hiſtor. Gothan. p. 56,*

(*ii*) apud *eund. Sagittar. ibid. p. 63.*

(*kk*) occurrit hic titulus in tribus, quæ hoc anno data ſunt. *Primum* LEUCKFELD attulit *Antiquitatum* WALCKEN-

1255. (*ll*) & 1256. (*mm*) data ſunt, ex quibus aliq◇ a exemp.i adduxi loco. Poſt hæc vero tempor◇ non æque frequens eſt illorum mentio, ſed in quam plurimis deeſt, quæ paſſim extant, inſtrumentis. Deeſt in antiquiſſimo illo legislatoriæ poteſtatis Miſniæ Marchionum monumento, (*nn*) in Conſtitutionibus inquam ann. 1265. propoſitis, quas *Fabricius* exhibet, (*oo*). Atque quamvis in diplomate alio ann. 1266. dato (*pp*) occurrat, in ſequentibus tamen, quotquot quidem obſervavi, omnibus deſideratur. Ita in iis quæ *ann. 68.*

REID *p. 151. alterum* MOLLERUS *p. 2. p. 18.* qui eo loco addit, *primum hoc & antiquiſſimum eſſe in Archivo Friebergenſi monumentum, in quo titulum Heinricus illuſtriu ſurpaverit Landgravii & Comitis Palatini*, ex quo ſatis patet, plura ibi latere ante illud tempus ſcripta; in quibus hi tituli deſint. *Tertii* STRUVIUS meminit *p. 17.*

(*ll*) ap. MOLLER *p. 1. p. 164.*

(*mm*) ad hunc annum pertinet, (1) quod SCHLEGEL memorat *de nummis Gothanis §. 6. p. 4. lit. d.* (2) quod idem allegavit *de nummis Altenburg. p. 18. lit. k.* add. (3) STRUV. *p. 17. in fin.* et (4) TENZEL *p. 626. ſupplem. p. 2.*

(*nn*) Ex hoc enim apparet, jam ante conſtitutionem Rudolphinam, quam Magnif. HORNIUS memorat I. P. Pr. p. 707. Marchiones Miſniæ Legislatoria poteſtate uſos eſſe, quamvis ego non dubitem ante illa quoque tempora dudum eis et aliis Principibus illam competiiſſe.

(*oo*) FABRIC. *Annal. Miſn. p. 46. ſqq.*

(*pp*) quod ap. WECKIUM extat p. 469.

68. (qq) ann 69. (rr) ann. 71. (ss) ann. 79. (tt) ann. 83. (uu) & ann. 85. (xx) conſcriptæ ſunt, ſervatur. Sed & in *Imperatoris literis*, quibus filium *Henrici* ex *Maltizia*, aut, ut alii volunt, *Miltizia* (yy) ſuſceptum legitimum & ingenuum haberi jubet, (zz) non alio quam Marchionis elogio compellatur. Cujus rei ego hanc cauſam eſſe conjicio, quod illo tempore *Alberto* filio jam ceſſerat Thuringia, ſibi Miſnia ſola ſervata (aaa). Certe jam eo ſuperſtite, *Albertu* titulo Landgravii & *Comitis Palatini* uſus eſſe legitur, (bbb) quæ res aliis

)()(2 occaſio-

(qq) ad hunc ann. diploma eſt ap. SCHLEGEL. *de Cella Veter. p.52.*

(rr) vid. BECMANN *Hiſtor. Anhalt. p.1. p. 166.*

(ss) ap. WECKIUM *p.170.*

(tt) hoc anno *Burchardi* Cellenſis Abbatis ſcriptum diploma eſt ap. SCHLEGEL. *de Cell. Veter. p.56.* in quo Henricus noſter Marchio Miſnenſis tantum dicitur.

(uu) v. WECKIUM *p. 470.*

(xx) ap. *eund. p. 471.*

(yy) Miltiziam REISNERUS LAIRIZIUS alii, ſed Maltiziam rectius nominant PECKENSTEIN *p.1. p. 125.* SCHLEGEL *d. Cella Veter. p. 74.* PAULIN. *Annal. p.57.*

(zz) Extant *Rudolphi* Imperatoris literæ ann. 1278. datæ ap. SCHLEGEL *de Cella Veter. p. 53. ſq.* WECKIUM *p. 159.* & LUNIGIUM *P. Spec. Cont. II. p.178. n. 4.* In his noſter illuſtris Henricus Marchio Miſnenſis appellatur.

(aaa) factum id eſſe ann. 1265. docent PEIFER *Lipſ. l. 4. p. 434.* FABRIC. *p. 586.* PAULIN. *p. 52.*

(bbb) Habent hunc titulum diplomata *Alberti* d. ann. 1272. ap. LEUCKFELD. *Antiquitat.* WALCKENR. *p. 409.* d. ann. 1280. & 1281. ap. PAULIN. *Iſenac. Annal. p.56. & in der Gegenanzeige die Jura territorialia der Stadt Erfurth*

occaſionem dedit dubitandi, an ad hanc ætatem usque pervenerit omnino noſter, (*ccc*) qui demum *ann. 1288.* (*ddd*) *aut 1287.* ſaltem diem ſuum obiit (*eee*) Hæc mihi de hoc argumento nunc forte in mentem veniunt, de quo alii rectius decernent, quibus patriæ hiſtoriæ operam dare, ac jucundiſſimo huic ſtudio incumbere licet. Sane ſine documentis fide dignis nihil fere in hujusmodi controverſiis definiri poteſt, quæ cum pleraque in archivis lateant, non mirum eſt, ignorari multa, quæ non modo his, quæ levioris momenti videri poterant, quæſtionibus, ſed & graviſſimis negotiis & illuſtribus controverſiis lucem ſola poſſent præſtare. Ceterum qui factum fuerit, ut contra aliorum Principum inſtituta *Henricus* Marchionem Miſniæ collocet, ante Saxoniæ Palatinum ejus rei rationes cum ablibi ſint expoſitæ, (*fff*) non eſt, cur nunc illi immorer explicandæ. Parum vero, vel nihil prodeſſe *Struvio* has chartas ad transferenda in Principes quoscunque Saxonicos, Palatinatus, quæ perinde ac priſca Landgravii, Marggravii, & Ducis Saxon. Jura ſoli Electori ſunt propria, facile demonſtrari poterat, ſi eo digredi nunc integrum mihi eſſet. Sed non hic eſt ea de re differendi locus, cum operam nunc noſtram, cujus cauſa hæc ſcribemus, Candidatus noſter.

EPHRA

betreffend. hr. B. & C. d. ann. 1282. ap. LEUCKFELD *l. c. p. 394* d. ann. 1283. ap. PAULIN. *p. 57.* aliaque, quæ nunc non vacat recenſere.

(*ccc*) V. BIRCKEN. *Heldenſaal p. 257.*

(*ddd*) FASRIC *p. 586.* quem GIOVANNI aliique ſequuntur.

(*eee*) quod SCHLEGEL *d. Cella Veter. p. 60.* ſatis mea ſententia evicit.

(*fff*) a STRUNZIO *Diſſ. ad titulos Elect. Sax. th. 6. p. 12.*

EPHRAIM GOTFRIDVS REICHIVS

ſibi vindicet, de cujus natalibus, ſtudiis ac vita honeſte transacta, ut mori recepto ſatisfiat, nunc exponendum eſt. Patria ei *Neoſtadium* Miſnenſium eſt, non ignobile Præfecturæ *Hohenſteinenſis* oppidum, in quo ante hos XXXI. annos ipſis *Calendis Januariis* natus eſt. Patrem habuit Virum plurimum reverendum M. *Gabriel. Reichium*, Paſtorem Primarium & diœceſeos Pirnenſis cis Albim Seniorem, qui anno hujus ſeculi 6to vitam cum beata morte commutavit. Ceteros majores commemorare non licet, omnes pietatis fidei & orthodoxiæ laude conſpicuos. Fuit enim hoc, quo patrem defunctum eſſe, diximus, paſtoris primarii munus veluti hereditarium *Reichiis*, qui ex quo puriora ſacra Lutherus reſtituit, ei non turbato aut interrupto ordine præfuerunt. Mater, quam ſuperſtitem ſibi gaudet, & quam diutiſsime ſuperſtitem eſſe optat, Jacobi *Lehmanni* filia eſt, Viri ordinis ſenatorii inter Bichofwerdenſes. A primis tenerae ætatis annis præceptoribus in diſciplinam datus eſt, tum iis, qui publicæ ſcholæ præpoſiti eo tempore erant, tum domeſticis, qui illorum induſtriam adjuvarent. Celebrat inter hos noſter induſtriam & fidem Valentini *Schulzii*, Scandavienſium nunc ſacerdotis, & Joannis *Ottonis*, Elyſtrenſium in Luſatia Rectoris, qui & præceptis ſaluberrimis & exemplo multum ei profuerunt. Per hos ubi profeciſſet, miſſus eſt in Illuſtrem illam Saxoniæ *Portenſem* Scholam, anno proximi ſeculi 96to, ibique per integrum quinquennium & quatuor commoratus menſes honeſtam obtinuit miſſionem, & teſtimoniis induſtriæ ampliſſimis inſtructus, habita de

Laudibus Jurisprudentiæ ſolenni oratione, diſcesſit. Inde in Academiam noſtram pervenit anno MDCCII. qui ſecularis illi erat, & a Rectore Magnifico, Chriſtiano *Vatero*, Archiatro Anhaltino & Prof. Publ. celeberrimo, in tabulas Civium benevole relatus eſt. Jurisprudentiæ ſe addixerat, ſed eam illotis manibus tractare noluit. Itaque Philoſophiæ ejus, quam Practicam vocant, & Civilis Hiſtoriæ præſidiis animum firmavit, Præceptorum adjutus dexteritate, quos poſt fata etiam eorum veneratur, & quorum æterna erit apud nos memoria, quamdiu non ingrata meritis & literis debitum honorem poſteritas perſolvet, *Röhrenſei* & *Schurzfleiſchii*. Poſt toto animo Jurisprudentiæ incubuit, & omnem ejus ambitum complexus fuit, ſecutus Doctores Celeberrimos, qui tunc hanc Academiam illuſtrabant, & nunc quoque partim exornant, Illuſtrem atque Excellentiſſimum *Bergerum*, Decus Jurisprudentiæ & Gloriam Vitembergæ noſtræ, qui nunc ſplendidiſſimo in Aula Cæſaris munere defungitur, quo ut diutiſſime & feliciter defungatur, ea, qua par eſt, obſervantia optamus, tum Viros Magnificos *Hornium* Præſidem Collegii noſtri ordinarium, *Wernherum*, *Suevum*, & Conſultiſſimum *Seebachium* id temporis Cur. Prov. & Conſiſtorii Advocatum ordinarium. His per triennium integrum vacavit. Jamque abſolviſſe videbatur ſuis ſtadia Academica, & abſolverat ſane ea, quibus Juris univerſi metimur curſum, cum Serveſtæ ei offerretur occaſio fidem & induſtriam approbandi Generoſiſſimo atque Excellentiſſimo de *Kalitſch*, Ser. Prin. Anhaltin. ab Aulæ & Cameræ Conſiliis, cujus ſumma merita & illuſtres Virtutes huc usque Aula Principis admiratur, & plurimi ipſe fecit Sereniſſimus

Heros

Heros. Hujus *Kalitſchii* filiis præfectus Juvenes Generoſos & in ſpem magnam erectos ad paternum excitavit decus, neque fruſtra ſe, quam eis impendit, gaudet operam collocaſſe. Septimo hujus ſeculi anno ad nos rediit, & cum per menſes aliquot Anteceſſorum Scholas & meas etiam Lectiones frequentaſſet, Examini, quod praxeos Candidatis ſubeundum eſt, ſe ſtitit, atque omnium ita expectationi ſatisfecit, ut quod iis, quorum ſingulares ſunt in Utroque Jure profectus, tantum tribuitur, digniſſimi elogium referret. Hoc teſtimonio inſtructus Dreſdam abiit, praxeos facturus pericula, & ſtudiorum experimenta. Anno autem ſeculi hujus nono, tertium ad nos venit, amore captus urbis, quæ, quamvis aliis nihil, quod alliciat, habere videatur, noſtro ob ſtudiorum, quos ibi fecerat, profectus, cariſſima fuit, & redeundi ſæpius cauſam præſtitit. Hoſpitem nactus eſt Excellentiſimum Virum Joannem Carolum *Nævium*, Collegii noſtri Aſſeſſorem, & Profeſſorem Extraordinarium optime meritum, quem nunc nobis, & ſibi ereptum nobiſcum luget Candidatus noſter, eoque acerbius luget, quo magis ſe illi ob conſiliorum promtitudinem & prolixum adjuvandi conatus ſtudium, obſtrictum eſſe ſentit. Erant omnino in *Nævio* noſtro virtutes egregiæ, candor ſingularis, proclivis in literarum cultores voluntas, animus expers invidiæ, & rebus contentus ſuis, fides antiqua, mores ſancti, pietas ſine fuco, laborum patientia, atque usque ad ultimum vitæ exitum inſatiabilis cupiditas. Quæ qui ſuo pretio æſtimaverit decora, ſatis gravem nos in optimi ſenis funere, quod hodie efferimus, jacturam facile intelliget feciſſe. Noſter in ædibus Nævianis occaſionem ſibi gra-

gratulatur fuiſſe præſtitam perorandi cauſas, acerudiendi Juvenes quosdam Legum cupidos, atque adeo theoriæ pariter ac praxeos excolendæ. Ex his, qui fidei ejus ſe crediderant, Auditoribus Lipſiam eum aliqui traxerunt, ubi eam ſibi gaudet contigiſſe felicitatem, quod ICtos Celeberrimos *Menckenium*, *Titium*que audire, & cum aliis Viris doctiſſimis verſari familiariter, ac in judiciis Civitatis cauſas agere, & clientibus patrocinium præſtare licuerit. Sed revocabant fata Vitembergam, revocabat etiam, quem dixi, amor erga hanc Muſarum ſedem, quo captus quartum huc ſe contulit, ac ſecum generoſiſſimum *de Leubniz*, e Luſatia ſuperiore equitem adduxit. Nuper, quos dudum fuerat meritus, in utroque *Jure* honores modeſte ambiit, & ad utrumque examen admiſſus tam in reſolvendis, quæ proponebantur, quæſtionibus, quam in L. 12. C. d. quæſtion. atque cap. ult. X. de purgat. vulg. explicandis dexteritatem, ingenium, eruditionemque abunde nobis approbavit. Supereſt, ut eandem publico ſpecimine omnibus approbet, cujus rei cauſa diſſertatione ſolenni Selectas aliquot obſervationes Forenſes Præſide Magnifico *Wernhero* proximo die Jovis tuebitur. Quem actum ut Pro-Rector Magnificus, Patres & Proceres Academiæ ſua præſentia exornare dignentur, ea, qua par eſt, obſervantia, ordinis noſtri mutua officia & cultum atque obſequia Candidatinoſtri pollicitus, etiam atque etiam rogo & contendo P. P.

Ipſo Die Epiphanias Domini Feſto
A. R. G. CIↃ IↃ CCXV.

VITEMBERGAE, Literis CREVSIGIANIS.

gratulatur fuiſſe præſtitam perorandi cauſas, acerudiendi Juvenes quosdam Legum cupidos, atque adeo theoriæ pariter ac praxeos excolendæ. Ex his, qui fidei ejus ſe crediderant, Auditoribus Lipſiam eum aliqui traxerunt, ubi eam ſibi gaudet contigiſſe felicitatem, quod ICtos Celeberrimos *Menckenium*, *Titium*que audire, & cum aliis Viris doctiſſimis verſari familiariter, ac in judiciis Civitatis cauſas agere, & clientibus patrocinium præſtare licuerit. Sed revocabant fata Vitembergam, revocabat etiam, quem dixi, amor erga hanc Muſarum ſedem, quo captus quartum huc ſe contulit, ac ſecum generoſiſſimum *de Leubniz*, e Luſatia ſuperiore equitem adduxit. Nuper, quos dudum fuerat meritus, in utroque *Jure* honores modeſte ambiit, & ad utrumque examen admiſſus tam in reſolvendis, quæ proponebantur, quæſtionibus, quam in L. 12. C. d. quæſtion. atque cap. ult. X. de purgat. vulg. explicandis dexteritatem, ingenium, eruditionemque abunde nobis approbavit. Supereſt, ut eandem publico ſpecimine omnibus approbet, cujus rei cauſa diſſertatione ſolenni Selectas aliquot obſervationes Forenſes Præſide Magnifico *Wernhero* proximo die Jovis tuebitur. Quem actum ut Pro-Rector Magnificus, Patres & Proceres Academiæ ſua præſentia exornare dignentur, ea, qua par eſt, obſervantia, ordinis noſtri mutua officia & cultum atque obſequia Candidatinoſtri pollicitus, etiam atque etiam rogo & contendo P. P.

Ipſo Die Epiphanias Domini Feſto
A. R. G. CIↃIↃ CCXV.

VITEMBERGAE, LITERIS CREVSIGIANIS.

gratulatur fuiſſe præſtitam perorandi cauſas, acerudiendi Juvenes quosdam Legum cupidos, atque adeo theoriæ pariter ac praxeos excolendæ. Ex his, qui fidei ejus ſe crediderant, Auditoribus Lipſiam eum aliqui traxerunt, ubi eam ſibi gaudet contigiſſe felicitatem, quod ICtos Celeberrimos *Menckenium*, *Titium*que audire, & cum aliis Viris doctiſſimis verſari familiariter, ac in judiciis Civitatis cauſas agere, & clientibus patrocinium præſtare licuerit. Sed revocabant fata Vitembergam, revocabat etiam, quem dixi, amor erga hanc Muſarum ſedem, quo captus quartum huc ſe contulit, ac ſecum generoſiſſimum *de Leubniz*, e Luſatia ſuperiore equitem adduxit. Nuper, quos dudum fuerat meritus, in utroque *Jure* honores modeſte ambiit, & ad utrumque examen admiſſus tam in reſolvendis, quæ proponebantur, quæſtionibus, quam in L. 12. C. d. quæſtion. atque cap. ult. X. de purgat. vulg. explicandis dexteritatem, ingenium, eruditionemque abunde nobis approbavit. Supereſt, ut eandem publico ſpecimine omnibus approbet, cujus rei cauſa diſſertatione ſolenni Selectas aliquot obſervationes Forenſes Præſide Magnifico *Wernhero* proximo die Jovis tuebitur. Quem actum ut Pro-Rector Magnificus, Patres & Proceres Academiæ ſua præſentia exornare dignentur, ea, qua par eſt, obſervantia, ordinis noſtri mutua officia & cultum atque obſequia Candidatinoſtri pollicitus, etiam atque etiam rogo & contendo P. P.

Ipſo Die Epiphanias Domini Feſto

A. R. G. CIↃIↃ CCXV.

VITEMBERGAE, LITERIS CREVSIGIANIS.

gratulatur fuiſſe præſtitam perorandi cauſas, ac erudiendi Juvenes quosdam Legum cupidos, atque adeo theoriæ pariter ac praxeos excolendæ. Ex his, qui fidei ejus ſe crediderant, Auditoribus Lipſiam eum aliqui traxerunt, ubi eam ſibi gaudet contigiſſe felicitatem, quod ICtos Celeberrimos *Menckenium*, *Titium*que audire, & cum aliis Viris doctiſſimis verſari familiariter, ac in judiciis Civitatis cauſas agere, & clientibus patrocinium præſtare licuerit. Sed revocabant fata Vitembergam, revocabat etiam, quem dixi, amor erga hanc Muſarum ſedem, quo captus quartum huc ſe contulit, ac ſecum generoſiſſimum *de Leubniz*, e Luſatia ſuperiore equitem adduxit. Nuper, quos dudum fuerat meritus, in utroque *Jure* honores modeſte ambiit, & ad utrumque examen admiſſus tam in reſolvendis, quæ proponebantur, quæſtionibus, quam in L. 12. C. d. quæſtion. atque cap. ult. X. de purgat. vulg. explicandis dexteritatem, ingenium, eruditionemque abunde nobis approbavit. Supereſt, ut eandem publico ſpecimine omnibus approbet, cujus rei cauſa diſſertatione ſolenni Selectas aliquot obſervationes Forenſes Præſide Magnifico *Wernhero* proximo die Jovis tuebitur. Quem actum ut Pro-Rector Magnificus, Patres & Proceres Academiæ ſua præſentia exornare dignentur, ea, qua par eſt, obſervantia, ordinis noſtri mutua officia & cultum atque obſequia Candidatinoſtri pollicitus, etiam atque etiam rogo & contendo P. P.

Ipſo Die Epiphanias Domini Feſto

A. R. G. CIↃIↃ CCXV.

VITEMBERGAE, LITERIS CREVSIGIANIS.